

X X V I I I.

63

Existat hæc Inscriptio in basi effossâ A. D. 1529. prope arcus rudera, de quo supra disseruimus n. IV. A multis recitatur, sed mirum in modum corrupta: a Grutero nempe pag. CCCXXII. 8. Cluver. Ital. Antiq. pag. 621. Fabrett. Inscript. Domest. Cap. IX. n. 1. aliisque. Veram, germanamque lectionem a me ipso summâ cum diligentia exceptam proposui, nunc ad eam illustrandam accedo.

ABEIENAE ita perspicue legitur: ita ediderunt Cluverius, & Fabrettus; male ex Simeonio Gruterus ALBIAE: male Scultetus ABEIRAE: male eruditissimus Bimard ABEINAE. Gens *Abejena* Grutero non deest, si pag. MCLIII. 6. per errorem scriptum velimus ABIENA.

FLAMINICA PISAVRI ET ARIMINI. Flaminica fuit Abejena Pisauri, & Arimini, Patrona Municipii Pitinatium Pisarensum: ita enim hanc Inscriptionem intelligendam esse jampridem docuit Scaliger in Indice Grut. cap. III., & V. Quæ olim ad hunc Inscriptionis versiculum scripsimus, libenti animo omitimus: adeo eleganter in Dissertatione mox adducendâ illustravit illum doctissimus Baro de Bimard.

PATRONAE MVNICIPI. Fœminas quoque Patronatus tesserâ a Municipiis, & Coloniais splendidissimis donatas fuisse docent veteres Inscriptioes. Cantiam Saturninam Patronam Coloniae Ariminensis marmor (*) Grut. pag. CCCXXII. 2. memorat. Nummiam Varam Patronam Præfecturæ Peltuinorum in Vestinis adduxit eruditissimus Vir Petrus Polydorus in expositione veteris tabellæ æneæ, quâ M. Salvius Valerius Vir splendidus Emporii Naunani Patronus cooptatur, a P. Calogera Tom. VII. Opuscul. editâ.

PITINATIVM PISAVRENSIVM. Pitinum Ptolemæo teste mediteraneum Umbrorum oppidum fuit. Cluverius lib. II. Cap. 6. Ital. Ant. Pitinum eo situ putavit fuisse, ubi nunc conspicitur celebre oppidum, vulgo *Macerata di Montefeltro*: ita forte dictum, si Cimarellio, oppidanorumque traditioni fides, quod ex maceriis veteris illius Urbis fuerit ædificatum. L. Holstenius in Annotat. ad pag. 622. Ital. Antiq. lin. 5. Cluverii sententiam confirmat, licet de loco paullum dissentiat. *Macerata oppidum*, inquit, *haud dubie crevit ex maceriis, & parietinis Pitini, non tamen eodem plane loco sita est:*
nam

(*) Idem tamen reperitur pag. MLXXXVIII. 15., & habet MATRI COLON.